Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1799
Quelle:
Copyright:

mundi qui fuit Magiſter Ord. fratrum pred. et penitentiarius domini pape; additur altera: *Explicit etiam apparatus ſuper Summam predictam fratris Guilielmi Rhedonenſis quondam lectoris fratrum ord. pred. aurelianenſium. Qui fuit Magiſter in decretis et peritus in legibus.* Atque ex hac Clauſula etiam adparet, non erraſſe abſolute *Laur. Pignonium*, ut putavit *Quetifus*, *Guilelmum* adpellando *Aurelianenſem.* Interim tamen mirari ſubit, *Quetifum* et *Echardum* plus vidiſſe, quam totum Praedicatorum Ordinem, qui editionem *ſupracit. Clementi* VIII. Pont. M. inſcripſit *Johannis de Friburgo* nomine in fronte expreſſo. Codici noſtro demum adſcripta ſunt Carmina memorialia Caſus in *Raymundina* expoſitos complexa.

DCCXLIX.

R. 2278 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 479. f. maj. per duas columnas bene ſcriptas, coloribus illuſtratus, haec in anteriore Theca praefert: *Iſtam Summam Confeſſorum Teſtatus eſt Monaſterio ſancte Dorothee virginis vienne Honorabilis presbiter Dominus Erbardus grutſch De Marbegka* (oppido infer. Auſtr.) *Confeſſor ad ſanctum Jacobum* (Collegium tum Virginum O. S. Aug.) *Obijt autem Sexto ydus Auguſti. Anno domini M° CCCC° XXXVI°. Ego qui hoc ſcripſi vellem. quod omnes homines ſcirent quam laudabiliter et feliciter iſte Sacerdos clauſit diem vite ſue extremum. Nam quinta hora poſt acceptam abſolutionem a pena et a culpa auctoritate ſacroſancte Synodi Baſilien. cum bona ratione orando quieuit in pace. Sit nomen domini Benedictum. qui dedit nobis hunc librum. quoniam ab ipſo procedit omne bonum. Sciendum quod ſupradictus Dominus Erbardus grutſch teſtatus eſt Monaſterio ſancte Dorothee vienne Triginta ſeptem Volumina magna et parua. ſicut continentur in libraria. Dilecti fratres ſitis memores iſtius ſacerdotis in orationibus veſtris. quia magnam confidentiam geſſit de nobis ſperans ſe iuuari orationibus noſtris.* Lubens haec transſcribo; priſcum enim candorem, caritatem, gratum animum et εὐβιβλιοφιλιαν ſpirant. Habemus hic igitur *Summam Confeſſorum*, ſive Opus Canonico-Morale de Caſibus Conſcientiae ſaepius typis vulgatum *Johannis* ex Ord. Praed. dicti *Lectoris Friburgenſis* in Briſgoja a. 1314. fato functi, de quo Bibliothecarii Ord. egere T. I. p. 523. Incipit nobis a Monito: *Nota. quod lector iſte Johannes ante compilacionem huius ſumme confeſſorum fecerat tabulam ſuper ſummam Raymundi* (de Pennafort) *et apparatum eius. Verificacionem quoque ſeu declaracionem plurium que in ipſa ſumma et Gloſa ipſius habentur. Nec non et quendam libellum ſpecialem de queſtionibus caſualibus. cui libello hunc prologum prepoſuit. Et quia de prioribus hijs opuſculis mentio fit in ſequenti Prologo. Ideo ad intellectum illius prologi hunc illi iudicauit prepo-*

nen-